

Post hæc, elapsis quinque diebus, Ephesum venit Joannes Antiochenus, quadraginta circiter Episcopis stipatus, qui intellectâ Nestorii damnatione exandescens, coegit statim in eadem urbe conciliabulum, in quo quidem Synodum Oecumenicam resevivit, & pro Nestorio ipsum Cyrillum & Memnonem urbis Ephesinæ Episcopum deposuit, consentiente Candidiano Comite Nestorii fautore, qui ab Imperatore missus fuerat ad impediendum tumultum. Joannes objiciebat Cyrillum Apollinaris errores propugnare in suis anathematismis.

Cyrillus Joannem citavit, ut rationem redderent & de facto audaci, & de sua fide, qui cum obedire renuisset, tanquam Hæretici fautor Episcopali dignitate exutus est. Tum uterque ad Imperatorem scripsit, qui primò recipiens Joannis Epistolam credidit Cyrillum hæreticum esse, ejusque exaurationi suum addidit calculum; immò & in carcerem conjici voluit, sed acceptis postea B. Cyrilli litteris, se retractavit, depositionem Nestorii confirmavit, qui statim in monasterium suum detrusus, tum ab eodem expulsus eò quod alios suis corrumperet erroribus, in exilium apud Oasim missus est, deinde vagabundus per Thebaidem, linguâ vermibus corrosâ, miserandè obiit.

Ex factis Imperatoris perterritus Joannes cum Cyrillo reconciliatus apparebat, sed nondum verè & ex corde, de quo certior factus Imperator Aristolaum Tribunum cum Notario misit, qui Joannem verè reconciliaret cum Cyrillo & Concilio; hinc Joannes ad se reversus Alexandriam misit Paulum Emisenum, qui discussâ adamussim Nestorii controversiâ in Concilio definitâ nomine Joannis, & totius Ecclesiæ Antiochenæ, Nestorii damnationem, & in ipsius loco Maximiani electionem probavit atque confirmavit. Cujus rescriptum ad Sixtum III. tunc loco Coelestini defuncti SS. Pontificem missum est. Ista omnia sic actitata referuntur in Concilio Ephesino.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Nestorius vindicari possit ab hæresi circa Dominicam incarnationem?

MITRUM est Nestorium tot Conciliorum anathematibus percussum, & à celebritate Concilii Ephesini tanquam hæreticum & impiissimum semper habitum, nihilominus anno 1645. ab hæreseos labe purgari, operâ cujusdam anonymi, qui tamen, ut plures autumant, est Albertinus minister Calvinista: quo pietatis animo, judicate; nam ut salvet Nestorium, sanctum Cyrillum Alexandrinum cæterosque Concilii Ephesini Patres, Manichæis, Valentinianis, & Apollinaristis fuisse non sine ausu temerario scripsit: Sed quod stupendum magis est, non desunt inter Novatores qui eundem hæreticum excusatum habeant, & ab Albertino tantum discrepent, quod salvo fidei dogmate circa unionem, erroris dumtaxat eum insimulant circa Mariam, quam *Theotokion* esse negavit. Contra omnes tria momenta controversia præsens complectitur: unum de opinione Nestorii, alterum circa Verbi unionem, tertium circa matris Dei pro BB. Virgine dignitatem, unde sit.

§. I.

Num Nestorius duas esse in Christo personas, propugnaverit?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatio ex ipsis Nestorii Scriptis.

ILLE Christum non habuit ut Deum, qui duas in eo & prædicavit, & docuit personas: Atqui res sic se habet: Et probatur. Qui dicit Deum solum inhabitare in Christo, ut in templo, & ipsum non esse Deum nisi honore & participatione, qui negat communicationem Idiomatum, qui impugnat fidem Dominicæ Incarnationis in anathematismis B. Cyrilli expressam, dubio-procul duas esse in Christo personas expressè docet. Nec aliam tametsi præcellentem divinitatis cum humanitate assumptam unionem præter moralem agnoscit: Atqui ex scriptis Nestorii hoc ipsum patet: Ergo &c. Probatur minor quoad singulas partes ex Concil. Ephes. edit. Colonia Agrippinæ anno 1506.

Primò: Sic loquitur Nestorius in prima sua ad S. Cyril. epist. tom. I. cap. 13. Concilii: "Quasi verò quæ in Dei Verbum naturaliter conveniunt, ea templi, hoc est corporis conjunctione penitus abolita sint. . . . rectum proinde Evangelicæque traditioni consentaneum est, ut Christi corpus divinitatis templum esse confiteamur, illudque nexu usque adeò sublimi divinoque, & admirabili ipsi conjunctum esse statuamus, uti divina natura ea sibi vindicet, quæ corporis, alioqui sunt propria. Audis Nestorii ex ore divinitatem esse in Christo solum ut in templo."

Secundò: Ibidem negat communicationem Idiomatum & sic pergit: "Verum propter eam, sive communicationis, sive appropriationis notionem, nativitatem, passionem, mortem, cæteraque carnis proprietates. Divino Verbo ascribere, re, id demum, mi frater, mentis est Pagano-rum more verè errantis, aut certè insani Apollinarii & Arii & aliorum quæ hæreticorum morbo, aut alio etiam graviori laborantis."

Tertio: In libro quem ad suæ doctrinæ explicationem ad Concilium Ephesinum misit, docet Christum non alio modo esse Deum, quam improprie & non per se, immò non magis quam Moïsem & merâ appellatione propter gratiæ plenitudinem. Sic enim legitur tomo 2. cap. 8. Concilii ubi Nestorius quaternione 16. sic loquitur de Christo: "Non per se, & secundum se Deus est, quod Spiritus sancti operâ effectum est. . . . At verò quia Deus in homine assumpto existit, assumptus assumpti conjunctus, propter assumptum Deum appellatur. Rursus quaternione 17. "Verum, inquit, ut rerum omnium opificem Deum appellamus, & Moïsem rursus Deum; ait enim: constitui te Deum. Pharaonis. . . . ita quoque Dominum, nostrum, & Deum, & Christum, & sanctum appellamus. Verum, tamen licet nominum communicatio similis sit; dignitas tamen dissimilis existit. Videas velim Nestorium nominis tantum nusquam verò entitatis communicationem inter Deum & Christum admittere."

Quarto: Per omnia impugnat Nestorius divi Cyrilli anathematismos ubi fides Dominicæ Incar-